10

CARMINA

IN HONOREM

C PIETATE, DOCTRINA

ERUDITA, LINGVARUMQUE COGNITIONE,

VIRTUTE, HUMANITATE, PRÆSTANTISS. VIRI

CUNRADI GRASERI JUN.

RECTORIS GYMNASII PATRII THORUN.

SOLER ISSIMI, DIGNISSIMI:

&

PIÆ BENEQ; MORATÆ VIRGINIS

CHRISTINÆ MENCELIÆ,

DN. ANDREÆ, CIVIS THOR. ex CATHARINA FRISIA F.

Nuptias celebrantium

propridie Calendar. Martii

AN. ÆRÆ CHRISTIANÆ

cIɔ. Iɔc. XII.

Honoris, Amoris, Obſervantiæ,

ergò

SCRIPTA

partim ab Amicis,

partim à Diſcipulis Gymnaſii Thorun.

Typis AUGUSTINI FERBERI.

CUNRADO GRASERO
&
CHRISTINÆ MENCELIÆ
SPONSIS.

QUæ tibi Trisnerus, docte ô Grasere, precatur,
Hæc animi faxit sint rata Vota Deus.
Insita sit cordi Patris observantia Summi,
Illius & placeat nosse sequiq; vias.
Ars tibi, quam calles, pro lucro erit, atq; fruêre
Partis; sic felix sicq; beatus eris.
Ac veluti vitis, quæ ulmo est conjuncta, racemos
Explicat, ac cingit palmite pulchra domum:
Sic fœcunda tuis succrescet in ædibus Uxor,
Instar olivarum pignora chara ferens.
Hæc Domini Timor, hæc Pietas tibi præmia spondet;
A Domino solo est ista petenda Salus;
Hunc cole; sic Christi florens Ecclesia, sic Res-
Publica firmatæ tempora pacis agent.
Tuq; voluptatem, ditatus prole, capesses,
Pax ubi florebit sedibus in patriis.

MARTINUS TRISNERUS.
L. S. E. S.

CUm dederit toti NATUM PATER optimus Orbi,
Quid, CUNRADE, tibi, Frater honore, neget?
Consortem poscis: Tribuit; quam forma pudorq;,
Quam pietas dotat, nobilitatq; genus.
Magna alii jactent magnorum Xenia Regum,
Tu tibi de strenâ compare lætus ova!

JOAN. TURN. SS. TH. D. pro ineuntis 1612. An.
Xeniis felicia Connub. licia animitus medullitus opt.

Omnia

OMnia si fiunt FATO, si FATA gubernant
VOTA, & si Mediis sub sua jura trahunt;
En, nova Nupta, DEUS, Pater, & quam mortua nuper
Affinis voluit, SPONSE, locare TIBI;
Ex VOTIS venit: en pia VOTA accedere FATIS
Cerno; sit firmum, quod pia FATA jubent.
Sint pia FATA DEI rata: sint rata VOTA Parentum,
Sit vobis SPONSIS grata Zygeia, precor.

M. ANDREAS HEISCHMAN.
Eccl. ad D. Jacobi Minister.

DUm Tibi connubio jungis, CONRADE, puellam;
Certatim multi dona superba ferunt.
Ast Ego demissi mitto suspiria cordis,
Officium veluti postulat hocce meum.
Vota placent DOMINO: pro donis accipe Vota;
Vera DEI soboles Vota valere sinet.
Lite torus careat: sine morbis pignora crescant:
Sit domus & cunctis vestra referta Bonis:
Et spatiosa satis procurrat vita per annos
Amramidis, sicut Pagina Sacra canit:
Quicquid ages, rerum fortunet Motor & Autor:
Defectum Voti suppleat ipse DEUS.

MARTINUS BENDER Lips. Eccl. Thor. Minister.

DUm meditor, Sponsi quæ sit doctrina, decusq;
Quantum animi, quàm sit dignus honore coli;
En mea turgescens jucundo carmine Vena,
Sponsorum laudes enumerare parat.
1. Te DEUS, in cœlis qui majestate verendus
Supra orbes Mundi regia sceptra tenes,
Magnifico dicam te carmine, teq; stupendum
Lætus vexillo percelebrabo meo:
2. Ut robur pateat cunctis, virtusq; per Orbem
Conspicua ut niteat, lausq; decusq; tuum:
A te principium mihi, finis & ultimus in te;
Tu solus mea laus, tu mihi carmen eris.
3. De Sponsa hoc dicam Sponso: tibi Cordis anheli
Est morbus Sponsæ cognitus ille tuæ:
Directum cor, Sponse, tenes ad cor tibi gratum
Sponsæ; non tamen hoc igne vorabit Amor.
4. Lætus es ob Sponsæ præconia: languor anheli
Cordis vanescet, cum tibi Sponsa aderit.

5. Sponsæ omnes laudes non possum, Sponse, referre,
Hanc ut respicias, pronus & huic venias.
6. Pinguia adurebant ceu sacræ abdomina flammæ;
Sic erga Sponsam cor tibi adurit Amor.
7. Ad Sponsam intrabis Sobolis compulsus amore:
Læticiamque feret posteritatis amor.
8. SAT Tibi jam dictum: dicatur nunc quoq; Sponsæ,
Quod jubet ipse DEUS, quodq; requirit Honor.
1. Sponsa, tui Sponsi lingua est gladius velut anceps:
Materies vires vincit at ista meas.
2. Doctrina insignis, vis ingeniiq; stupenda;
Quaque vel Artifices exuperare potest.
3. Integer est vitæ, bonus est Vir, acumine præstat;
Dum scribit, vel dum disputat, aut loquitur.
1. Hæc ego Collector cecini JULIANUS, & hæc me
Sic accuratè scribere jussit Honor;
2. Ut commendarem te, mi CUNRADE, decenter,
GRASERE, & Sponsam Versibus hisce tuam:
3. CHRISTINAM Sponsam. Vobis sint prosperitatis
Fontes, & Vobis omnia læta fluant.
4. Cœlitus irradiet Vobis benedictio IHOVÆ:
Respondete omnes, quotquot adestis: Amen.
Pectore devoto subjungite, quotquot adestis,
Amen: Dicite jam, quotquot adestis: Amen.
HEBRÆO versu hoc cecinit JULIANUS Apella
Quondam, nunc CHRISTUM Speq; Fideq; colens.

M. A. F. interpretab.

AFfinis triplici mihi vinclo juncte, GRASERE;
Eque meâ Neptis chara Sorore mihi:
Ne sim Convivas inter tot ἀσύμβολος unus,
Expediam verbis heic mea Vota tribus:
Quæ mihi, si vestrâ sim sorte locoque, precarer,
Cuncta Tibi, Sponsæ, SPONSE, precorq; tuæ.

M. CASPAR FRISIUS Thorun.

FAUSTÆ CHARITUM ACCLAMATIONES.

DUm Sociam Vitæ quæris: dum fœdera pangis
Conjugii, gaudent castæ, CONRADE, CAMOENÆ:
Exultant CHARITES: & quem finxêre beatum, Triæ in V.H. optimæ.
Patria Terra, Parens, & florida Nympha, celebrant
Te meritò tali benè dignum carmine Sponsum:

CHA-

CHARITES. *Sit felix, iterum felix, cui contigit uni* 1. Benè nasci.
E multis Clariâ traxisse ab origine Nomen.
Sit felix, iterum felix, quia contigit uni 2. Benè Conjugari.
E multis claro virtutum syrmate Virgo.
O nimiùm felix, cui spondent dextera Fata 3. Benè mori.
Post hæc fata suam placidè quoq; claudere vitam.
Sed quid cunctamur? præstò est: nova Xenia Sponso
Ferte novo: ingreditur Thalamum nova Sponsa novellum.

AGLAIA. *O DEUS, castis sine adesse Sponsis*
FILIUM casto thalamo benignum:
Semper & tædas refove benignâ
SPIRITUS aurâ.

EUPHROSYNE. *Sint procul lites, malesvadus error:*
Cum fame pestem procul aufferasq;:
Quicquid & mentes cohibet serenas,
Pelle, precamur.

THALIA. *Floreat vero Torus iste amore:*
Floreat largis Torus iste ocellis:
Floreat multo sine fine grati
Fœnore lucri.

Luserunt CHARITES. Sed Tu Servator & Autor
IOVA Tori, castis precibus fac pondus ut insit.

JOCO-SERIUM.

Nectere qui nodos didicisti & solvere nodos,
Te implicitum nodis miror ubiq; novis:
Aut nodos modò solve novos; aut nectere nodos,
Antè novos quàm vis solvere, disce novos.

M. BASILIUS CZÖLNER Lipsen.
Gymn. Thorun. CONRECTOR.

ΠΤΕΡΆ ΤΕΣΣΆΡΩΝ ΠΡΟΕΧΟΜΈΝΩΝ ΒΊΩΝ.

Ἤυτε Ὄρνις ἔφυ πρὸς τὸ πτερύγεσσι πέτασθαι,
πρός τε τὸ λευκοφαῆ ἠέρα διάνδιχα σχίζειν:
Οὕτω ἐς εὐφρονέειν εὖ διάγειν τε Μέροψ
ἐκτίσθη ὑπὸ τοῦ πὰν δυνατοῖο Θεοῦ.
Δεῖ γοῦν τὸν πτέρυγας τοὔνεκ᾽ ἔχειν δύο,
ὄφρ᾽ ἑὸν ἐνδυκέως ἐκτελέῃ δρόμον
πάσῃ ἐνὶ ζωῇ ἑῇ,
ἃς συνέχει καθαρὸς
Φόβος Θεοῦ
αὐτἀγάθου.
Σύζυγι ἐν Βιότῳ
Ὁμόνοια καὶ παίδων Ἔρως
εἰσὶ δύο πτέρυγες: Σωφροσύνη Πόνῳ
συμμιχθεῖσα καλῶς Οἰκονόμοις πρέπει:
Γνησιότης ἁπλῆ Φραδμοσύνη τε βίον
Κοινὸν ἀέξει: ἀτὰρ βουλομένοισι Θεῷ
Εὐσεβέως ζώειν πέλεται πτερά, Πίστις ἐνεργής,
ἠτ᾽ Ἀγάπη Θεὸν αὖ καὶ Πλησίον ἀμφαγαπῶσα.

Cur, CONRADE, tibi donem Alas, fortè requiris?
Paucis edicam; suscipe mente bonâ.
Dædalus aptârat lateri alas: Icarus alas
Aptârat lateri: sorte sed imparili.
Nam Senior servatus erat: sed lapsus in undas
Junior Icariis nomina fecit aquis.
Dædalus accinctus Virtutis amabilis Alis
Per medium Mundi providus ivit iter:
Icarus accinctus Vitii pernicibus Alis
Sublimem tenuit non sine morte viam.
Sic tibi adaptato pennas Virtutis honestæ:
Ast Vitii pennas perniciemq; cave.
Et quia quadruplex tibi proposita est Via posthac;
Quadruplicem prudens iq; rediq; Viam:

ALÆ PRÆCIPUORUM QUATUOR VITÆ GENERUM.

Sicut Avis nata est magnum per inanè volarè,
Atque suis liquidas auras diffindere pennis:
Sic, benè quò sapiat degat &, omnis Homo
Est factus Dextrâ cuncta-creante DEI.
Hinc alis geminis indiget, ut benè
Solers curriculum conficiat suum,
Omne & suæ vitæ Genus,
Quas ligat assiduus
Timor DEI
Summi Boni.
CONJUGII placidi
Concordia et Sobolis Amor
Sunt alæ geminæ: Sobrietas, Labor
Cõjunctim egregios Oeconomos decent:
Candida Simplicitas, Cautaque Consilia
CIVILI VITÆ commoda sunt: Cupidis
Ast servire DEO geminæ alæ; Prima Fides est,
Altera Amor IHOVAMq; colens Hominesq; decenter.

☞ *Conjux, Oeconomus, Civis,* CHRISTIQUE *Fidelis,*
Pande alas, Virtus quas dedit alma Tibi:
Expansisq; Alis medio tutissimus ito:
Vitato extremum, quod mala damna parit.
Ast DEUS *Alarum Virtutis maximus autor,*
Qui Vitiiq; Alas ustulat igne sacro,
Alarum servet solita bonitate sub Umbra
Te SPONSUM *&* SPONSAM *plurima secla tuam.*
Sis felix CONRADE *diu* GRASERE, *tuæq;*
CHRISTINÆ *junctus pignora multa vide.*
Nos omnes tegat Alarum sub tegmine CHRISTUS;
Alas ut possit pandere quisq; suas.

M. ADAMUS FREITAGIUS Thorun.

VEsper erat, nitido jam descendebat Olympo
Sol, & in occiduas fessus abibat aquas:
Cynthia jam gracili surgebat lactea cornu,
Fundebatq; suum luce silente jubar:
Jam mea nocturno dare lumina fessa sopori,
Jam volui effuso membra levare toro.
Nescio quis tacitum subitò me turbat, & ô te,
Quisquis es, oro, tuas mox mihi pande fores.
Obsequor & moto resero mea cardine tecta,
Ignorans aliquem fortè subesse dolum.
Ecce meis autem Juvenis se sistit ocellis,
Ingrediturq; meam me referante, domum.
Ah quæ forma fuit? facies suffusa rubore
Purpureo nitidum sparsit ab ore jubar.
Obstupui, tacitusq; steti: Mox ille solutis
Faucibus hos tenero fudit ab ore sonos:
Per te, per, qui te, Juvenis, genuêre, parentes,
Et per Castalias, Numina sacra, Deas;
Per Cœli Terræq; Patrem precor, ut duce te mox
Ad nova RECTORIS tecta venire queam.
Mirabar votum: Mihi tempus & esse negabam,
Ille sed ulteriùs supplice voce petit.
Tandem igitur cupidum duco RECTORIS ad ædes,
Quas mox ingressu subsiliente subit.
Ast ego (Nam timui, insidiæ ne fortè subessent)
Observo tacito limina clausa gradu;
Utq; sciam meliùs, secum quæ verba loquantur,
Aßisto arrectis auribus ante fores.
Heu mihi! Stridenti nequam Puer ille sagittâ
Transfixit Domino pectora casta meo:
Et mox egressu se lætabundus alacri
Extulit, ac tales misit ab ore sonos:
I nunc, & Veneris, nunc sperne Cupidinis arcum,
I miser, & posthac nomen Amantis habe.
His dictis, superas subitò se tollit in auras,
Et trepidum tali me quoq; voce vocat:
Tu Venerem Venerisq; sacram venerare propagem,
Alteriusq; tibi disce cavere malo;

Te quoq;

Te quoq;, crede, fuit transfigere nostra voluntas,
Ni foret officio mens mea victa tuo:
Non tamen intereà vinclo quasi liber ab omni
Tela pharetrati sperne caduca DEI.
„ A nobis quicunq; putat sibi posse cavere,
„ Ah nimis ingenio fallitur ille suo!

JOHAN. THAMNITIUS Thorun.
Scholæ patriæ Coll.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ
AD SPONSUM.

CONRADE Docte Sponse,
Et Fautor osculande,
Tibi nuptiale Sertum,
Et Conjugale Votum,
Phœbus novemq; Musæ,
Juno, Venus, Minerva,
Charitumq; cara Triga,
Bacchus, Ceres, Cupido,
Themis, Vacuna, Pitho,
Et quicquid est Deorum,
Et quicquid est Dearum,
Consentiente nutu,
Et ore publicârunt.
Sed nuptiale Carmen,
Minutulæ Camœnæ
Angustiis ligatum,
Anacreonte versu,
Mihi publicare mens est.
Nunc ergo, culte Sponse,
Hoc nuptiale Carmen,
Licèt rudis Minervæ,
Pro more nuptiali
Novis tuis, ô amplis!
Honoribus dicatum,
Vultu sereniore
Dextraq; promtiore,
Assume, facq; tanti,
Ut me pari vicissim,
Si res locusq; poscit,
Minutulæ Camœnæ,
Laboriosioris,
Et elegantioris,
Et expeditioris,
Et expolitioris,
Et eruditioris,
Versûs honore mactes

ANACREON NUPTIALIS.

DIU mihi petita,
Quæsita, concupita,
Jugo meo juganda,
Toro meo dicanda,
Laterìq; collocanda,
Veni puella tandem,
Tandem veni Puella.
Hoc expetunt Lepôres,
Hoc postulant Favores,
Hoc flagitant Amores,
Hoc imperant Honores.
CHRIstina MENcelina,
Amoris Officina,
Medicina cordis ima;
Corona Virginalis,
Et Gemma Conjugalis,
Et Arrha Nuptialis;
Pusilla Villulilla,
Venerilla Pumililla,
Vita mea Favilla,
Venire perge tandem,
Tandem venire perge.
Hoc expetunt Lepôres,
Hoc postulant Favores,
Hoc flagitant Amores,
Hoc imperant Honores.
O gratiosa Virgo,
O Virgo gratiosa,
Da Te mihi, tuumq;
Pectus, Femur, Tuosq;
Venustulos Lacertos,
Vetustulos Lacertos,
Cupidusculos Lacertos;
Da Brachium, Manumq;
Auremq;, Mentulumq;;
Da roscidum Labellum,

 Et flo-

Et floridum Labellum,
Labellulumq; bellum;
Da lucidos Ocellos,
Et pœtulos Ocellos,
Et gemmeos Ocellos;
Da nexiles Capillos,
Et pexiles Capillos,
Et textiles Capillos,
Bombycinosq; Villos,
Rotundulosq; Villos,
Contortulosq; Villos;
Da Bucculas tumentes
Et Bucculas trementes,
Et Bucculas calentes;
Da candidas Papillas,
Et lacteas Papillas,
Et musteas Papillas.
Hoc expetunt Lepôres,
Hoc postulant Favores;
Hoc flagitant Amores,
Hoc imperant Honores.
Communicabo rursum
Tibi meæ Maritæ,
Amiculos Lepôres;
Et musicos Canores,
Et lacteos Sapores,
Et flammeos Amores,
Et quod novus Maritus,
Cupidusculus Maritus,
Suæ novæ Maritæ,
Cupidusculæ Maritæ,
Consuevit erogare:
Te Sponsulam venustam,
Venustulamq; Sponsam,
Amplexibus trecentis,
Et Osculis trecentis,
Et Basiis trecentis,
Et Suaviis trecentis,
Amore virginali,
Et More conjugali,
Et Ore liberali,
Pro Req; nuptiali,
Luctâ licentiore,
Mulctâq; dulciore,
Lusuq; gratiore,
Usuq; veriore,
Subinde concitabo,
Subinde basiabo,
Subinde visitabo,
Subinde vellicabo.
Sic Concitationes,
Et Basiationes,
Et Visitationes,
Et Vellicationes,
Crescent & uberabunt
In annuale Germen;
Et hinc & inde nostra
Propinquitatis Arbor,
Egerminante Fœtu,
Florisq; masculini,
Florisq; fœminini,
Florisq; cultioris,
Floris q; dulcioris,
DEI Benignitate,
Succrescet ad frequentem
Propaginem Nepotum.
Hoc expetunt Lepôres,
Hoc postulant Favores,
Hoc flagitant Amores,
Hoc imperant Honores,
DIU Tibi petita
Quæsita, concupita,
Jugo tuo juganda,
Toro tuo dicanda,
Laterique collocanda,
Pergo venire tandem,
Tandem venire pergo;
Et præsto sum Puella,
Factura jussa quævis:
Ut expetunt Lepôres,
Ut postulant Favores,
Ut flagitant Amores,
Ut imperant Honores.
O grata candidarum,
Corona Gratiarum,
CONRADE care Sponse,
Et postmodùm Marite,
Quæcunq; nuncupâsti,
Pro Te, meo Marito,
Quæcunq; nuncupâsti,
Pro Me, tuâ Maritâ,
Ipso favente IHOVA,
Rata sint Utriq; nostrûm.

Utrosq; vos Maritos,
Beet Deus novatos,
Ceu ritè convocatos,
Et ritè conjugatos,
Et ritè copulatos,
Et ritè collocatos.

FRANCISCUS ROTHARDUS Mülhusinus
Turingus, Gymnasii Thorun. Coll.

SCYPHUS NUPTIALIS.

Jam
Sidere fausto
ArchiDidascale
Et Patrii decus omne,
Sponse, Lycei
Perge parare
Cõnubialia
Festa: hominum sator ille
Voce suâ instituit Galilæis,
Et præsens eadem decoravit ibidem;
Protinus ex undis mirè facit optima vina,
Hoc lætusq; novos donavit munere Sponsos,
UT testaretur, SIBI FOEDERA CAsta probari.
Spiritus ille DEI conservet in his amoris ignem,
Qui Sacra Fœdera Casti Connubii volunt inire.
Hinc Neonymphe liquet clarè, quòd fœdera casti
Sancierit Thalami, qui jam sedet altus Olympo,
Et Socia ingenti firmârit Pectora Amore :
Quid juvat en vixisse diu sine Conjuge fidâ?
Eximit illa tibi curas, Sexcentaque raptim
Oscula jungit: jam Neonymphe parato jugales
Tædas, Altitonans fovet atque tuetur easdem,
Et tibi legitimo Sociam conjungit amore:
Cõfluit hîc populus, dulcis quoq; buccina clangit,
Ac inflata sonos lætos taratantara spargit,
Ecce patent Templi valvæ tibi, Teque Tuamque
Expectant Sponsam : hæc est tibi læta dies.
En Sacrâ Te pastor in æde
Nymphæ Tuæ vult jungere,
Ingrediare templum :
Sponse præito,
Sponsa sequetur
Quæ tibi Sacra in
Jungitur æde.
Ergo DEUS jam
Fœdera Casta secundet;
Conjugii fructus numerosam gignite prolem,
Et benè Mathusalæ felices vivite seclum.

CHRISTOPH. FLATOVIUS Angermund, G. T. Col.

ODA.

QUamvis pro meritis ſuis
CONRADE accipiant, optime, præmia
Rarò convenientia,
Quotquot mente labores pueris ſuos
Impendêre graves diu.
Aſt illis tamen hæc præmia ſuppetunt
Multis divitiis Midæ
Aut Crœſi mage felicia, ſplendida:
Recti conſcia Mens, metus
Expers, atq; Dei maxima Charitas
Autoris Thalami Sacri.
Illis namq; bonus ſuppeditat Parens,
Cunctorumq; hominum Sator,
Formoſam, teneram, floridulam, piam,
Nummoſamq; puellulam,
Caſtam, dulciloquam, ut ſit Requies VIRO.
Quod Tu, SPONSE, negas minùs
Mecum, aſt non dubiâ mente fateberis.
Namq; id comprobat hæc dies,
Quæ tædis hodie jure tori ſacra eſt.
Hinc optat meritò mea
Lætum, SPONSE, TIBI Melpomene Torum,
Tota mente precans Deum,
Conjunctos ſimili Fœdere, Paceq;
Seruet tempore ſoſpites,
Manſuetuſq; ſuo Numine protegat;
Det VOBIS Sobolem probam,
Caſti pignora lecti rata, grataq;,
Servos atq; pediſſequas
VOBIS Obſequioſos tribuat diu,
VOS tandem augeat omnibus
Donis, atq; bonis ornet, & auferat
Clemens cuncta pericula
Vitæ, cœpta ſecundet pia. Plaudite.

MARTIN. BERTHOLDUS Wartemb. Sil.
Sch. Thorun. Neapol. CANTOR.

O parens

O Parens rerum, DEUS ac JEHOVA
Mitis, & magni moderator Orbis,
Cuncta qui firmas, pariterq; Sancti es
Fœderis autor;

Hos juva clemens DEUS alme rerum,
Qui Tori sancti socialia intrant
Jura: Te quæso, bonus his novellis
Annue Sponsis.

Longiùs semper facias ut absint
Jurgia & rixæ rigidæ, precamur,
Facq; concordes, veluti Columbas,
Vivere utrosq;,

Sit Salus constans, parilis sit illis
Ardor amplexus socii, sit una
Mens in adversis patiens, & illis
Una voluntas.

Et precor tandem faciat JEHOVA
Summus, ut cernant Thalami nepotes
Sponsa cum Sponso, superent & ambo
Nestoris annos.

Hoc precor Sponso pariterq; Sponsæ;
JOVA vos servet, tueatur, ornet.
Pondus his Votis jubeas ut adsit,
CHRISTE benigne.

Joan. Seidelius Thor. Scholæ
Novæ Civit. ibid. Collega.

SEQUUNTUR
CARMINA DISCIPULORUM
SUPREMÆ CURIÆ.

ECHO.

PHOEBE, Novenarum Ductor Rectorq; Sororum,
Huc ades; & Thalami connectas vincula Sancti;
Lætanti veniat vultu Cytheréia: AT EJA.
Quis hic clamor? AMOR: quæ vox clamantis? AMANTIS:
Num tu Nais? AIS. cur, quæso, curritur? ITUR.
Forsan Hymenæum tu vis jam ducere Saltum?
ALTUM. GRASERO optabis num prospera? SPERA.
Ergo simul Sponsum Sponsamq; adeamus: EAMUS.
Carmine Conjugium Felix celebrabimus: IMUS.
GRASERE ô faveas; AVEAS: LUX clara refulge;
FULGE: Almis semper Musis gratissimus Hospes;
O SPES: & columen; LUMEN: fulcrumq; Dearum;
HARUM: Perpetuò tibi erit Fama assecla; SECLA.
CHRISTINA & salve candenti Candida flore;
ORE. Hem tu Sponso Myrrhas adolebis; OLEBIS.
Tu viridi quavis præstantior unica Lauro;
AVRO. Sponsa nimis tu sis generosa; ROSA. Ergo
Vivite felices, discrimina nulla subite;
ITE. Videte dies Vos MATHUSALEMQE! SALEMQUE.
Vt multi vobis acclament carmine honesto;
ESTO. Diem tantum sed nunc celebrabimus: IMUS.
Haud abeo; si forsan vis abeamus; EAMUS.
Interea Incolumes Sponsi revalete; VALETE.

JOHAN. FUNCCIUS Hermanopol. Transylvanus

PARAPHRASIS CARMINIS HEBRAICI MS.
â Leonhardo Schatone Dyrschenreydensi
Palatino oblati: eodemipso illius Autore.

WOL Dir/ Du Fürtrefflicher Mann/
Wol Dir/ GOtt hat Dir gutts gethan.

Zum EhGemahl Dir geben wird
Ein Jungfräulein gantz wolgezirt
An schöner Gstalt vnd Liebligkeit:
Aber viel mehr recht Einigkeit

Des

Des Glaubens/ vnd Gottesfurcht schon
Sie zieret als ein köstlich Kron:
Der beste Schmuck ist diß allein/
Damit ein Weib gezirt soll sein.
Wol Dir/ Du Fürtrefflicher Mann/
Wol Dir/ GOtt hat dir gutts gethan.
Hinfort kanstu nu fahren lahn
Viel HausSorg/ der Sie sich nimbt an:
Viel Freud vnd Lust/ Hertzsterckung viel
Sie bringt Dir/ Ja des Lebens Ziel
Erlängert durch Sie werden kan/
Wie Syrach solchs klar zeiget an.
Wol Dir/ Du Fürtrefflicher Mann/
Wol Dir/ GOtt hat Dir gutts gethan.
Durch Sie Du wirst viel schöner Kind
Ein Vatr/ die vmb dein Tisch her sind
Wie die Oelzweig frisch vnd gesund/
Wie GOTT zusagt durch Davids Mund.
Wol Dir/ Du Fürtrefflicher Mann/
Wol Dir/ GOtt hat Dir gutts gethan.
Nu wirstu erst verstehn hinfort
Viel Geheimniß in Gottes Wortt/
Als: Wie ein Breutgam liebt sein Braut/
So lieb CHRISTUS die Gmein erbaut.
Wer nicht geliebt hat inniglich
Ein Braut/ kan diß begreiffen nicht/
Auch: wie hertzlich vns gneiget sey
Der Himlisch Vater/ sag ich frey/
Hat noch niemand ie recht erklert/
Der nie sein eigen Kind ernehrt.
Wol Dir/ Du Fürtrefflicher Mann/
Diß hat Dir GOTT zu gutt gethan.

Quisquis

Quisquis ades, mecum pia nunc profundito vota,
Et ferto summo grata trophæa DEO.
Namq; Dei donum est pia quæ benè contigit Uxor
RECTORI NOSTRÆ, *Sponsa pudica*, SCHOLÆ.
Ergo tibi vero gratamur pectore, RECTOR,
Sponsam nunc talem quòd ferat ipse DEUS.
Desuper hæc magnis donis cumulata nitescit,
Virtutis plena est, & pietatis amans,
Adde quòd assidua huic adsit Dilectio CHRISTI;
Sic benè de ipsius Nomine Nomen habet.
Quod superest: DOMINUS *connubia vestra secundet,*
Vestra sit & pulchrâ prole repleta Domus.
O ita sit, faxit Diuini Gratia Flatus,
Illi hoc qui exoptat, pectore dicat, AMEN.

ANDREAS TRISNERUS Thorun.

TYmpana canoro quid sonore denotant?
Buccinæ quid vult strepitus frementis?
Quid notat inerti clamor in populo? polum
Qui ferit celsum, manuumq; plausus?
Hoc scilicet: Hujus GymnasI celebris petit,
Civium, Rector, sequitur corona
Quem facilis, ædem, lætus ut capiat Tori
Conjugem, quam præ reliquis cupivit.
Namque pia, virtuti studens, proba, moribus
Nobilis, nec non facilis loquelam.
Ergo precor omni pectore auxilium DEO,
Hic enim cæpit, medium gubernet,
Finiat, & omnes exitus benè prosperet.
Nam Dei res respiciunt honorem.
Det DEUS, ut in vobismet aurea floreat
Charitas: unum duo corda sunto.:
Atque videatis plurimam sobolem domi, &
Plurimas luces numerate Solis.

STEPHANUS FINEMAN Hannoverâ-Saxo.

Quòd

Quòd sacra adire paras castæ socialia vitæ,
Atq; onerum sociam jungere lege cupis:
Gratulor ex animo RECTOR clarißime; faxit
Omnipotens Votis pondus ineße meis.
Et precor, adjutrix vitæ tibi grata jugalis
Ad placitum vivat tempus in omne tuum:
Ac numerosa sacri pariat tibi pignora lecti,
Tædia quæ vitæ magna levare solent.
Sicut & ægrorum sanat Medicina dolores:
Sic tua Sponsa malis sit medicina tuis.
Una Fides vobis, Amor unus, Mens sit & una,
Atq; idem sit honos semper, idem sit onus.
Hæc precor ex animo: Votis DEUS annuat oro,
Ut videas, gratum quod tibi, quodq; cupis.

MATTHIAS ECCARDUS Thorun.

Dicite Pierides, casti quid vincula lecti
Dulce ferant? quæ sint tristia mixta bonis?
Crux thalamum sequitur; crucis ast insigne levamen
Sæpe venit MAGNi de bonitate DEI.
Commoda producit pia Conjux, grata JEHOVÆ,
Grata Viro, nec non grata cuiq; bono.
Prosper es, ô nimiùm prosper, Clarißime RECTOR,
Nam CHristina tibi candida talis adest.
O CHristina, tuus CHRISTUS sit ductor & autor,
Huic vivas, si vis esse beata toro.
Vos regat ipse DEUS præsens; Vos tempus in omne
Innumeris cumulet condecoretq; bonis.
Nil queat in Vobis unquam malus Orbis & Orcus,
Absit Eris, firmus prædominetur Eros.

THOMAS WENGIERSCIUS Ostrorogen.

Quis novus hîc nostris succeßit sedibus Hospes?
Quæ Dea, quod Numen nostro lætatur amœno
Hospitio? Blando quæ me sic ore salutat?
Illa est, quam multos annos, quam tempore longo
Expectare mihi placuit; Dulcißima Conjux,
O mihi præ reliquis multùm gratißima Sponsa,

C Expecta-

Expectata venis; thalami optatißima Consors?
Hem CHRISTINA venis; fulvo præstantior auro;
Candidulis nostrum pectus tibi junge lacertis.
Te te tot votis, precibus tot, pectore ab imo
Sæpius optavi; tenero tu in pectore vulnus
Fecisti latum: Dulcißima amica venito:
Huc ades & tandem gratißima tecta subito;
Sisq́ue, quod esse volo, solamen dulce malorum,
Spes, & Vita, Quies, Medicina salubris, & unum
Pharmacon, & nostris medicare doloribus, atq́ue
Optatus, CHRISTINA, mihi sis portus & aura,
Dum gravibus semper mihi turgent pectora curis.
Ambos nos CHRISTUS cœlesti Numine servet:
Atq́ue Domum nostram suffulciat omine fausto.

JACOBUS RÜMPLERUS Thorun.

CONRADUS GRASERUS: CRISTINA.

Αναγραμματιζόμενον.

GNAVUS RES CORRADES: AN TRICIS?

SPONSA AD SPONSUM.

HEus SPonse, AN TRICIS posthac tua tempora vitæ
Consumes? tua vix nomina tanta ferunt:
Nomina tanta ferunt tua vix: meliora sed audi,
Quæ tua prædicant nomina: GNAVUS eris:
GNAVUS eris summo curando cuncta labore,
Quæ poscet ratio muneris ipsa tui:
GNAVUS CORRADES animo RES arte politas,
Ex te percipiet quas studiosa cohors:
GNAVUS CORRADES RES subtilesq́; gravesq́;,
Pectore quas condat gens Studiosa suo.
GNAVUS eris, dum prospicies, quodcunq; requiret
Nostra domus, summo prospiciente DEO.
Author connubii nobis benè cœpta secundet;
Sic medium felix, sic quoq; fini serit.

SALOMON SCULTETUS Thorun.

JAm subeunt, CONRADE, tuam pia gaudia mentem.
Nam datur in thalamum Sponsa pudica tuum.
Sponsa, cui nomen de CHristi nomine ductum est,
Cui pietas cordi est cui DEUS unus amor.
Casta DEIq; timens conjux preciosior auro,
Omnibus & gemmis gratius illa bonum est.
Sponsa pudica viro est, in dura sorte levamen,
Illa viri curas discutit atq; fugat.
Talis, Sponse, tua est, tam fida columna futura,
Quæ tibi mœrenti gaudia mille feret.
Vivite felices longævi Nestoris annos,
Sit pax, sit bona sors, sit comes alma Salus.
Vivite felices, prolem numerate, diesq;
Innumeros. Tu fac sint rata Vota DEUS.
Hæc sincero animo grati tibi, Sponse, precamur:
CHRISTINA, hæc cupimus, Sponsa pudica, tibi.

MATTHIAS GRœTZSCH Thorun.

COpula Sancta duos animis conjunxit Amantes,
Corpore nunc junget Copula sancta duos.
Ergo HYMENÆE veni; tibi sint hæc vincula curæ:
Nunc opus est tædis; Ergo HYMENÆE veni:
Tuq; NOVENA COHORS Sponso nova dicito Vota,
PHOEBE lyram pulsa, tuq; NOVENA COHORS.
Hoc ab utrisq; decus meruit solertia Sponsi:
Accipiat, fas est, hoc ab utrisq; decus.

MUSÆ ad SPONSUM.

Pars memoranda Chori nostri sis, SPONSE, beatus,
Et vigeas, nostri pars memoranda Chori:
Sit status ille tuus concordi pace refertus;
Lætitiâ plenus sit status ille tuus.
Sit tua SPONSA tibi ceu fertilis ubere vitis,
Et ceu palma virens sit tua SPONSA tibi.
Enumerate dies Pylios, ut magna NEPotum
Sit series; Pylios enumerate dies.

APOLLO ad MUSas.

Ponite, Sponsus abit, citharam; quæ Vota dedistis
Sufficient: citharam ponite, Sponsus abit.

AUtor ad MUSAM suam.

Cur lyra vestra tacet? jacet: ecquid præcipis? ibis.
Non opus est igitur jam calamo? thalamo.

URBANUS GELNITIUS Elbingen.

O Nimium felix, Talis cui contigit Uxor,
Quæ Dominum verâ relligione colit:
Quæ simul inservit Domui: Quæ ferre labores
Suevit: Quæ gliscens scit removere malum:
Quæ, quibus occurrat verbis, est gnara, Marito
Tristi; Quæ digno mactat honore Virum.
Tali Te, Rector, cum summus RECTOR *Olympi*
Conjuge ditârit, num dare plura potest?
Ergo Tibi meritò tantos gratamur honores.
Nam dat diversis quod Deus, unus habes.

IOACHIMUS HELMBOLDUS *Mülh: Tyrig.*

QUòd non conveniat cornix & noctua cæca,
Nec corrivales obvia quæq; probant:
Sed quòd conveniat VIRTUS cum Moribus æquis,
Exemplo esse bonis, Rector amande, potes.
Cùm sis VIRTUTIS RECTOR, DUX atq; SALUTIS
Nostræ, Virtutum singula membra tenes;
Hisq; tibi sociam conjungis MORIBUS æquis
Ornatam, ut nulla in corpore menda foret.
VIRTUS VIRTUTI, MORES jam MORIBUS æqui
Juncti sunt; nulla in corpore menda manet.
Quàm benè conveniunt, & in una sede morantur!
O utinam vinclum hoc dextera sancta beet!
Quare jure tibi læti gratantur amici,
Atq; hi, quos sceptro tu sapiente regis.
Nunc & ego illorum socium me jungo labori,
Illorum & votis hæc quoq; Vota ligo:
Sit felix præsens thalamus, sit prolis abundans,
Sint vestro in stabili prospera Fata toro.
Ut vivas felix, & vitæ gaudia carpas,
Aspiciens sobolem te genitore, precor.
Vivito Præceptor præstanti munere digne,
Quod tibi dent alii: verùm ego Vota fero.

JOANNES PANKO ZATHU-
reczki Czaslavien. Bohemus.

CONRA-

CONRADO CHRISTINA datur, par nobile; CHRISTE
Huic miti vultu dexter adesto tuo:
Efficito, ut radios spargat Sol aureus ambos
In Sponsos, quorum gloria in Urbe viget.
Principium regito, medium, finem, omnia, JESU,
Ut Dextrâ tuti sint maneantq; tuâ.
Vivite Concordes, & vivite Nestoris annos;
Sit procul à vestro lis rabiosa toro.
Fœcundet vestrum, precor, Omnipotentia lectum:
Ex thalamo veniant pignora chara pio;
Et cum jam vos hanc tædebit ducere vitam,
Molliter in CHristi tum recubate sinu.
Hoc precor, hoc opto: firma DEUS hæc pia Vota,
Sufficiant Sponsis jam data Vota novis.

IOHANNES DOENHOFF Nob. Curlandus.

FElix ô nimium! dextroq; in sidere natus,
O benè natus hic est!
Cui DOMINUS *castam multâ virtute decoram*
Dat thalami sociam.
Hoc munus tantum est; poßint quo, vix puto, Divi
Majus in Orbe dare:
Hoc auro præstat nitido, quod septima coxit
Ignea vis avidè:
Huic cedit rubro collecta in littore gemma;
Jaspis, Onyx, Saphyrus.
Tale tibi grator cœlo fulsisse benignum,
Docte GRASERE, *bonum:*
Quod verè emeruit Pietas tua splendida, Virtus
Candida quod meruit.
Vive igitur felix hac cum sine crimine concors,
Quæ tibi Sponsa venit.
Ac sobolem numeres parilem Pietatis amore,
Moribus, Arte, tibi.

Annos Nestoreos cernas: at Sponsa Sibyllæ:
Sed tamen ambo pares.
LEONHARDUS WAGNER Bartphen. Panno.

CArmina dum cantant alii, dum munera mittunt,
Numina per mea vota voco, Sponsisq; novellis
Ista precor: Fœlices crescite, Nestoris annos
Vivite, discordes nunquam; Concordia vestra
Pectora alat, casto in Virtutis amore manete.
Sic vobis aderit benedictio maxima CHRISTI;
Ceu palmes lætus pinguis reuirescit Olivæ,
Quem liquida unda rigat: sic vos florebitis ambo;
Sic Pylios tandem Vos Vos florebitis annos;
Sic vestros læti cernetis currere natos.
ZACHARIAS JACOBÆI Neozol. Panno.

EN tibi Thorunides gratantur carmine læto.
Certatim Musæ, quas regis arte tua:
Si quæris, cur id? dicam: nam pulchra virago,
Moribus apta tuis, jungitur ecce tibi.
Annuat his ergo cœptis DEUS unicus autor;
Teq; Tuamq; omni prosperitate beet.
Ille det & thalamum generosâ prole coruscum,
Quæ Pietatis amans sit, studiosa DEI:
Et Te felicem longævos seruet in annos,
Qui servat validâ cuncta creata manu.
Hoc opto: optantem sed me DEUS audiat; à quo
Principium ducunt fœdera sacra tori.
JACOBUS CRACOVIUS Tyropol. Cepus.

SPONSO Non semper lacrymis locus est; post nubila Phœbus
Sæpè venit, pellens tristia quæq; procul.
Clare Vir ergo precor mittas de corde dolorem:
Nam CHRISTINA tibi cælitus ecce datur.
Hæc minuet curas, magnos minuetq; labores,
Hæcque tuas ædes fulciet atque reget.
SPONSÆ Tu quoq; blanda tuum complectere Sponsa Maritum,
Est bona res claro, crede, placere Viro.
Ipse Vir Uxoris caput est; Uxorq; Mariti
Dulce levamen; amor si modò fidus adest.
JOHANNES WENGIERSCIUS Ostrorog.

SUmmus ubi Genitor Cœliq; Soliq; Monarcha
Ex rubra tellure virum fecisset Adamum,
Illius ex costa præstantem corpore CHavam
Formavit Sociam, prædulce levamen Adamo.
Hancce viro jungit, dictisq; ita fatur ad ambos:
O mihi dilecti! vestra hæc connubia nemo
Dissolvat: sed perpetuæ vos vincula pacis
Conjunctos teneant, numerosam reddite prolem.
HÆC eadem vobis, Neonymphi, pectore toto
Deprecor, ut vobis, stellantis Fictor Olympi
Det superesse diu, det opes, & semina litis
Pellat, & innumerâ faciat vos prole parentes.

CASPARUS CONOVIUS Novo-Stetinen. Pomer.

MUnera consuevit SPONSIS offerre vetustas,
De thalamis cepit gaudia multa novis.
Tradidit argenti congestum pondus & auri,
Dixerunt omnes omina fausta toro.
Hæc quoq; te maneant Ludi Moderator amande,
Cùm celebres thalami dulcia festa tui:
Munera dent alii fulvi preciosa metalli;
Ast ego, quæ teneo, vota precesq; feram.
Idcirco quivis mecum bona quæq; precetur,
Dicat conjugio prospera cuncta novo.
Plurima traducant ambo per tempora vitam,
Et videant plenam sospite prole domum.
Adstent â propriis Pax & Concordia mensis,
Atq; Timor vigeat verus ubiq; DEI.
Et post hanc vitam scandatis sydera Cœli;
Hîc ubi Lux vitæ est & sine nocte dies.
His nostris Votis tu clemens annue Christe,
Et jubeas nostras pondus habere preces.

CHRISTOPHORUS NEANDER *Neopol. Sil.*

PHœbe, Musarum decus atq; præses,
Linque Parnasi juga celsa montis
Cum novem Musis, tenerumq; Sponsis
Dicito carmen.
Nam subit fœdus thalami jugalis

Innu-

Innubæ cultor docilis Minervæ;
Moribus cultam reperitq; Nuptam,
Fronte venuſtam;

Quam Pudor, Virtus, Probitas honeſtat;
Virgines inter reliquas honore
Promicat, Titan velut inter aſtra
Lumine ſplendet.

Ergo felicem reor eſſe Sponſum
Cælitus noſtrum, pia cui Tonantis
Contigit dono, ſuperans metalla
Aurea, Virgo.

O Deus, fautor thalami pudici,
Annuas Sponſis, cumulesq; multâ
Prole, longævos videant & annos
Neſtoris, opto.

Gregorius Pœlsdorf Olaviens Sile.

Me tangit ſeries, novis
Ut grater gracili carmine Nuptiis.
Noſtræ diſcipuli Scholæ
Cùm ducti meritò laudis amoribus
Gratentur pede candido,
In morem Saliûm nec quatiant humum.
Donarem pateras quidem,
Vel ferrem tripodas, præmia fortibus
Quæ Grajis fuerant Viris:
Hæc ſed tanta negantur mihi munera:
Tædis Vota canam ſacris.
Pulchris Nympha comis, æmula ſtellulis,
Intret cùm thalamum tuum;
Et tecum cupiat vivere perpetim.
Non admiror ego ſatis,
Quòd te Sponſa ſuis vicit amoribus.

Te vi-

Te vidit juvenem ANGLIA,
Te vidit populis plena LUTETIA,
Te viditq́; PATAVIUM,
Te vidit celebris GALLIA, FLANDRIA:
In dictis quibus Urbibus
Virgo non valuit sternere Te virum.
Sed CHRISTINA *viriliter*
Te vicit; placet è millibus unica.
O felix ter & ampliùs,
Qui Nymphâ pariter gaudet amabili.
Vos Concordia mutua
Ergo perpetuo glutine glutinet:
Sponsam cogat amor suus
Lascivæ similem ludere Capreæ.
Atrox Asmodeus movet
Quæ Nequam thalamo jurgia, sint procul.
Natatu celeres Mare
Pisces quotquot habet, Pontus & Istula;
Sunt stellæ quot in Æthere;
Tot Vos & Pylii vivite secula.
Tandem Lunaq́; menstrua
Cum cornu decies jam renovaverit,
Sit mater tua Sponsula,
Et det Conjugii pignus amabile.
Ambobus DEUS OPTIMUS
Sponsis vota bonos ducat ad exitus.

ADaM VIctorIVS FranCostenâ.

INteger vitæ, fugiens sagittas
Cypriæ; at Nymphæ thalamos anhelans,
Fœdere utetur Sociæ tenaci,
Docte GRASERE.
Pace sic vitam peraget quietam,

Et malum conjux medicina sistet;
Ferculis corpus recreabit, ori
Oscula figet.
Hinc enim costa ex medio resecta,
Pectus ut lugens oculis venustis
Pulset, & lusu vario marito
Proroget ævum.
Olfacis, CUNRADE, medelam eandem
Corculi; aude, si Aoniæ palæstræ
Victor, ex castris Veneris malorum
Victor abibis.
Ergo descendas, stadium petasq;,
Virginis talis quoq; miles esto,
Ac Minervæ; non aries malorum
Te petet ictu.
Atq; tu CHRISTINA tua canora
Voce præsentem allicito GRASERUM,
Et torum dulcem pariter subite
Pectore nexo.
Vinculo æquali duo membra in unum,
Alterum quorum coluit Camœnas,
Alterum tectum Charitum subivit,
Jungite Fata.
Sit fides, pax, sit soboles venusta;
Nestoris convivite tempus ambo,
Tu decus CUNRADE Scholæ vigeto
Tempora longa.

JOHANNES HINTZIUS.

CARMINA DISCIPULORUM CLASSIS PRIMÆ.

VOTUM

VOTUM GRATULATORIUM

AD SPONSUM.

Prospera	*conjugii*	GRASERO	*fœdera*	*Sponso,*
Conjugii	DOMINUS	*det,*	*quò sint; huic quoq́ doctò*	
GRASERO	*det*	*eant ex voto*	*perbenè*	*cuncta.*
Fœdera	*quò sint huic quoq́ perbenè*		*firma,*	*precamur.*
Sponso	*doctò*	*cuncta*	*precamur*	*fata secunda.*

AD SPONSAM.

Svavia	*connubii*	CHRISTINÆ	*vincula*	*Sponsæ,*
Connubii	*ô* FAUTOR,	*rogo,*	*quò sint; huic quoq́*	*castæ*
CHRIStinæ,	*rogo,*	*quò cupiant benè,*	NUMINA;	*casta*
Vincula	*quò sint huic quoq́,*	NUMINA	*Sancta,*	*precamur.*
Sponsæ	*castæ*	*casta*	*precamur*	*pignora lecti.*

AD UTROSQUE.

Sanctorum	CHRISTUS	*concedat,*	*Vos benè,*	*Sponsus*
CHRISTUS,	*ut in vita*	*vitam*	*ducatis*	*honesta, &*
Concedat	*vitam*	*Tu cum, hæc*	*post tempora,*	*Sponsâ*
Vos benè	*ducatis;*	*post tempora*	*parva*	*capessant*
Sponsus	*honesta &*	*Sponsa*	*capessant*	*Regna Beata.*

TETRASTICHON NUMERALE,

Continens Annum, Mensem, & Diem celebratarum Nuptiarum, itemq́ nomina Sponsi & Sponsæ.

PræstantI ChrIstIna VIro MenzeLIa nVbet,
GRASERO, CapIens VInCLa saCrata torI;
QVatter VbI nostro septenVs In orbe refVLgens
ÆtherIo Phœbo, FebrVVs ortVs erIt.

JOHANNES SCHOBERUS Thorun.

Hunc fortunatum quatter, meritoq; beatum
Proclamat paßim Pagina Sacra virum,
Cui tali sociâ contingit conjuge, Fato
Numinis ætherei prospiciente, frui:
Quam nitidus splendor mentis decoravit honestæ,
Quæ pietatis amans flagrat amore DEI.
Te fortunatum meritò, GRASERE, canemus,
Aonii RECTOR duxq; decusq; chori;
Quòd tibi jungatur pia, casta pudicaq; Virgo,
Quam virtus decorat nobilitate suâ;
Quæ te, PRÆCEPTOR peramande, est digna Marito:
Qua quoq; tu dignus conjuge ritè frui.

CHRISTOPH. LIEBRUDER
Johansburg. Borussus.

Evam qui stabili junxisti fœdere Adamo:
Quiq; faves casto, CHRISTE benigne, Toro:
Conjugibus faveas constanti sorte novellis;
Atque hos prolixa prosperitate bees.
Da pacem; concede merum; Da plurima lecti
Pignora; Mathusalæ tempora daq;, precor:
Et cum pertæsi fuerint Vitæq; Toriq;
Hujus, in æternum suscipe utrumq; Torum.

FABIANUS HIPPIUS Lipsensis.

Hoc quid quæso novi? buccina personat
Solvens ad numeros harmonicum melos,
Clangor fertur ad auras,
Dum gratum lyra dat sonum:
Concurrunt pueri, tympana murmurant,
Imbutos studiis sed modulamina
Exercent: subitò lis
Inter tres oritur Deas.
Te, qui docta tenens sceptra scholæ, regis
Pubem Pieriam, te Cerebro sata
Pallas, Juno, Venusq;
Exoptant pariter frui.

Primùm Pallas ait: non tuus, ô Venus,
Isthic est Juvenis, sed meus; hunc ego
Primos lacte per annos
Nutrivi in Clariis jugis.
Affatur Sobolem sed Cythereia:
Eja noster erit; Nate sagittifer
Telum prome pharetrâ,
Huic præcordia saucia:
Quę non Hippocrates, non Podalyrius
Herbis consolidet maxima vulnera.
Matris jussa facesßit
Extemplò Idalius puer.

Sed Juno ob veterem (namq; recesserat
Nondum mente furor) Cyprigenæ malè
Formidanda repulsam
Tandem farier incipit:
Verum est, vulnus hians immedicabile est
Aut ipsi Hippocrati, vel Podalyrio.
Præcellit tamen una
TorunI arte Machaonis.
Emplastrũ tribuat, vulneris applicet
Hæc labris, medicas admoveat manus
Illam sola jubebo,
Jussum non erit irritum.
Tandẽ conveniũt: est thalamus sacer
Junoni, ast animus Palladis est Deæ,
Servat Cypris amorem,
Rectorem tria NUMINA.

ANDREAS RINGIUS Namslâ Silesius

AUrea, Pegasides, vestro date pondera SPONSO,
Dictantes hilari carmina blanda sono.
Vos Charites Sponsum digno accipiatis honore,
GRASERO & lepidos concelebrate choros.
Occurrit votis Phœbo sacrata Juventus,
Et promit Sponsis aurea dona novis.
Ast ego, Præceptor sancto vel honore colende,
Quæ tædis vestris munera digna feram?
Destituor nummis, gemmis, carisque lapillis,
Sum prorsus nulla conditione potens.
Do tamen: ut thalamo vestro benedicat IESUS,
Principium, medium, clausula sitque tori.

GEORGIUS CRELLIUS Crucibergâ Sil.

PIerides Musæ, viridis quæ culmina Pindi
Incolitis, celeres huc citò ferte pedes.
Aoniâ lauro præcingite tempora, nostræ
Et nova læticiæ promite signa Scholæ.
Hoc festum thalami numeris ornate sacrati,
Atq; novis SPONSIS fundite dulce melos.
Conjugii vester celebrat jam fœdera cultor,
Jungitur huic solito Virgo pudica modo.
Sit licet hic docto natus claroq; parente,
Vult tamen ingenii clarior esse bonis.
Nam simulac viridis vernaret flore juventæ,
Bellerophonteis labra rigavit aquis.

Cognovit varios summâ dulcedine mores,
Doctorum hinc volitat docta per ora Virûm.
Jungitur huic Virgo virtutum splendida cultu,
Et vitæ ingenua simplicitate micans.
Hanc docuit Mater veræ pietatis amorem,
Instituens rebus pectora casta bonis.
Dotibus ingenii tantis hæc prædita fulget,
Ut sit Virginei pulchra corona chori.
Illius laudes ego si describere vellem,
Sufficerent nunquam tempus & hora mihi.
Ergo novis opto felicia FATA *Maritis;*
Da DEUS *his votis pondus inesse meis.*
Vivant felices, longævos Nestoris annos
Ducant, multiplici prole beentq; torum.

CHRYSOGONUS RUTTH *Brigensis Sil.*

C*Andida laurigero nubit* CHRISTINA GRASERO;
Auspiciis adsint Numina dextra bonis.
Numina dextra sacrum confirment fœdus: & omni
Exornent Thalamum prosperitate novum.
Turturis exemplo concordes vivite semper,
Ac livore malo corq; domusq; vacet.
Cornigeros læti vivendo vincite cervos,
Annos cornicis dinumerate nigræ.
Vivite felices, generosa & prole beati,
Accrescat domui res, honor, atq; decus.

HENRICUS RITTERUS *Thorun.*

Conjugium melius confirmant cælibe vita
Omnes: Hæc summo est vita probata DEO.
Rectè igitur, Rector, stabili tibi fœdere jungis
Connubii nympham, quæ probitate viget.
Hâc etenim miseræ traduces secula vitæ
Svaviter: Hâc vinces aspera quæq; Crucis.
O quàm conveniens junxit par fœdere Christus:
Moribus, ingenio, par, probitate, fide!

Ergo

Ergo Christe, toripræses, vitæq; jugalis
Autor, GRASERI da bona cuncta toro.
Absit Eris, jucundus Eros connectat amantum
Pectora: Pax thalamo præsit; at absit Eris.
Fac cernant casti dulcissima pignora lecti
Fac videant prolis semina multa suæ.
Exæquent vegeti vivacis tempora cervi,
Ac tandem subeant celsa theatra Poli.

NICOLAUS POLUS Gedanen.

Connubium instituit quondam DEUS optimus auctor,
Adamoq; dedit Conjugii sociam:
Et tibi formosam Christinam, candide Rector,
Adjunxit nuptam vera DEI Soboles.
Conjugio, GRASERE, tuo DEUS adsit; amaras
Et JESUS vobis in mera vertat aquas:
Regnet consocians concordia mutua semper,
Ædibus in vestris regnet itemq; favor.
Tunc DEUS astripotens, cui cuncta animantia parent,
Hîc vobis aderit prosperitate sua.
Vestro in connubio conjunctim vivite Christo,
Ille dabit vitæ præmia digna piæ.

GEORGIUS MOCHINGER *Thor.*

Rectè est, ô RECTOR, quòd nobis fama locuta est,
Te velle innuptam ducere Conjugio.
Mens etenim dira est, quæ non connubia poscit,
Sed tua mens hæc est jungere Conjugium:
Pulchrius aut melius vix cernitur orbe globoso,
Quàm cum conjugium magno in honore patet:
Et certè pietate gravi tibi ducitur Uxor,
Hanc tu sincero semper amore colas.
Et tibi, Sponsa, datur Sponsus pietate fideq;
Sacrata clarus, sedulitate gravis.
Lætor, & exulto votis ardentibus instans,
Ut tibi concedat Fata quieta DEUS.

SIMON SEIDELIUS Thorun.

Felix,

FElix, ô felix, dextræ cui jungere dextram
Contigit, & castâ conjuge ritè frui!
Hæc est fulgenti longè preciosior auro,
Hæc est legitimi gemmula pulchra tori:
Hæcce viro requies, curarum dulce levamen,
Hæcce suo morbi certa medela viro.
O igitur felix, CONRADE GRASERE, futurus!
A Domino talis nam tibi Sponsa datur.
Vive DEO gratus, thalami quoq; pignora cerne,
Ornet JHOVA tuam prosperitate Domum.
Secula concordes vos, ô duo pectora, JHOVA
Nestoris annosi terna replere finat.
Tempore ut autumni vitis fœcunda racemis
Aspectu agricolas exhilarare solet:
Sic tua conjugii casti CHRISTINA sodalis
Cor recreet multâ prole venusta tuum.

CHRISTOPH. FLORIANUS Fraustadien.

UT solet ornatus viridanti gramine campus
Mille modis animos exhilarare graves:
Sic animum recreant nostrum Rectoris honores,
Cujus in amplexus Sponsa venusta venit;
Sponsa DEO servire sciens, & fidere Christo,
Sponsa sacræ signum virginitatis habens.
Felicem, cui Sponsa datur formosa, venusta!
Sed magè felicem, cui pia Sponsa datur!
Talem, Sponse, tibi cùm donent Fata; quis inde
Te non felicem dixerit esse virum?

GEORGIUS DEUTSCHLENDER Fraustad.

O Pater Omnipotens, vitæ dux unice nostræ,
Tu rege, quos jungis; pro bonitate tege.
Rebus in adversis præstò sis mole gravatis,
Flamine vivificans ipsa creata tuo,
Sors mala ne Sponsos hodiernos turbine turbet,
Firmiter Aligerûm cingito ubique choro:
Respice tu, numenq; Sacri spiraminis adde,
Tu das velle DEUS, tu quoque posse DEUS.

In pietate DEI traducant molliter ævum,
Sit procul & Sancto vita prophana Toro.
At tu, qui primos junxisti solus amantes,
Adsta Christe toro Conjugibusq; novis.

SAMUEL CELACK Pom.

Fausta precetur
Fata GRASERO
Quisq; perito.
Nam pia Virgo,
Pulchra, pudica,
Moribus apta,
Gaudet inire
Fœdera cum illo
Dulcia lecti.
Talia Sponsus
Festa celebrat,
Qualia JOUA
Condidit olim
In Paradiso.
Terq; quaterq;
Ille beatus
Virgine tali;
Sed quoq; tali
Sponsa marito
Jure beata est.
Sancte DEUS fac,
Ut Torus iste
Prolis amatæ
Germine crescat.

JOHANNES SCHAFHEUPT Francostein.

Collibus Aonides properè descendite MUSÆ,
Quæ colitis montis culmina celsa sacri:
Vos cursu celeri properate ad limina Sponsi,
Sitq; comes vester Clarus Apollo Pater.
Hic noster Sponsus, vester benè notus alumnus,
Qui biberat dulces Bellerophontis aquas:
Festa parat thalami, thalami pia festa celebrat,
Ingreditur thalamum dum pia virgo suum.
Pande tuas CUNRADE fores: tibi turba novena
Ad thalamum sacrum laurea serta ferunt;
Atq; tuis tædis gratantur Carmine dulci,
Cum senibus pueri voce decente canunt.
Ex animo Sponso docto Sponsæq; pudicæ
Gratulor, & parvo Carmine multa precor:
Omnipotens faxit, multos vivatis ut annos,
Innumera vestram prole beetq; domum.

CHRISTOPH. KRUMBHOLTZ *Francopetræus Sil.*

CARMINA DISCIPULORUM SECUNDÆ CLASSIS.

UTilius nec habet quicquam nec pulchrius Orbis
Sacro sacrati fœdere conjugii.
Lucet enim ex illo Mens & Prudentia JOVÆ,
Lucet Amor, nostrum quo colit ipse genus.
Plaudit eo Cœlum, Mundus nitet, Æquora saltant,
Omnis ovat, rident Curia, Templa, Scholæ.
Florenti Sophiâ, CONRADE, celebris & Usu,
Et Rerum variâ cognitione gravis,
Hoc tecum reputans exculto corde, subire
Legitimi pergis vincula casta tori.
Propterea sanctis cœptis ego grator: & opto,
Hoc ut felici sydere fiat opus.
Dirigat amborum mentes, & cœpta secundet,
Donec utrinq; diu vita superstes erit,
Vos nobis multos salvos conservet in annos,
Augeat atq; Domum prole frequente DEUS.

HEINRICUS PRÆMIUS Regiomontanus
Kneiphoviensis.

CEu sine cœlesti non crescunt gramina rore;
Et sterilis tellus absq; calore manet:
Sic nisi mittatur de Cœlo gratia Patris;
Irrita res omnis disperit absque DEO.
Ergo tibi meritò, Præceptor amande, precamur
Omnia fausta: DEUS comprobet hasce preces:
Desuper infundat tibi flumina larga salutis,
Et te cum Sponsa secula multa tegat.
Hæc paucis opto: DEUS at me exaudiat; audit
Ille pias, clemens promovet ille preces.

JOHANNES TESMERUS Borussus.

MUnera dent alii, quæ non prævertat arenâ
Pactolus rutilâ, nec Tagus ipse suâ.
Ast ego nunc Sponso, Aonii qui gloria semper
Non postrema Chori, nil nisi vota dabo:
Vota dabo, Sponsum lædant ut fascina nulla,
Nec magici gestus murmura tetra torum.

Vota

Vota dabo, vestris felicia commoda tædis
Ut det Cœlipotens & bona cuncta DEUS:
Fortunet thalamum, pulchella prole parentes
Cum Sponsâ faciat Te, Neonymphe, tuâ;
Olim quæ charo genitori pascat ocellos
Suspiciens, patrios ludat & ante pedes.
Quod superest, Pylios superetis svaviter annos,
Sit sine lite torus, prædominetur amor.

JOHANNES MÆRISCHER *Namslâ.Sil.*

EXODIUM

AD SPONSUM.

CONRADUS GRASERUS.

ἀναγραμματικῶς

CONGRESSUS AD RURA.

SUnt Ruris, Juris Congressus, Martis & Artis.
Artis CONGRESSUM Te benè scire reor.
CONGRESSUM Martis Martis rellinquito Pullis,
CONGRESSUM Juris linque GRASERE Foro:
Et jam CONGRESSUM RURIS cape; Qui sit honesto
CONGRESSUS felix AD tua RURA Toro.

DAVID DAUS Thorunæo Borussus, Gymnasii
patrii Cantor & Collega Classicus.



102834